

Q. K.
385,
II,

(X 788 3894)

39 520

In Nomine JESU!

DISPUTATIONEM HISTORICAM
MORALEM

II n
1451

De

GERMANORUM

VETERUM GLORIA,

E

CORNELII TACITI

GERMANIA,

Occasione Morum in Commune,

Amplissimi Senatus Philosophici,

In

Academia Lipsiensi,

permissu

d. 9. Novembris ANNO M DC LXXXIX.

H. L. Q. C.

Publice tuebitur

PRÆSES

M. JOH. HENRICUS LÖDERUS,

Dungelbecc. Saxo,

Respondente

GOTTFRIED HEINRICI,

Berl. March.

LIPSIAE,

Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANSKA





tem;
multu
tore l
ment
hono
in mu
rint.
ribus
mor
Et al
tum
ter c
Ger
Au
mu
sent



m
na





B. L.

Quam multis & egregiis donis, præ cæteris animantium, Deus hominem ornaverit, illud, præter rationem, qua a brutis distinguimur, ex eo etiam discimus, quando naturæ ejus ardens aliquod laudis atque gloriæ indidit desiderium. Quod ipsum tam late patere videmus, ut hujus vi in utramque partem; vel ad vitam recte instituendam, vel funditus evertendam, multum tribuere valeat. Verum cum affectus hic a benefico creatore homini ad sui conservationem & salutem, non autem ad detrimentum & perniciem suam, concessus sit: Videbimus, si quis in honore esse velit, unde vera gloria petenda; & quomodo Majores nostri, in multis ad nostram imitationem, hoc bono usi, gloriam consecuti fuerint. Demonstrabit id nobis ad oculum Tacitus in libello de moribus Germanorum, ubi laudes eorum perpetuas faciens atque immortales, apud Germanos plus bonos mores, quàm alibi bonas leges valuisse: Et alio loco: Nullum mortaliū armis aut fide ante Germanos esse: Multum inter ipsos rationis ac solertia: fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, refert. Nos, occasione inde quæsita, de Veterum Germanorum gloriae suis moribus, serie atq; ordine Capitum, quorum Autor XXVII. commemorat, observato, hac vice disputare volumus. Fiet id in duobus Capitibus, quorum alterum de natura, seu essentia gloria, alterum de ejus existentia agit, DEO Duce ac fayente!

CAPUT I.

De Gloriae essentia,

§. 1.

Gloria est fama honestatis benevolentiam multorum concilians.

§. 2. Hisce asserimus gloriam rem solidam & expressam, comitem factorum & vocem bene judicantium de virtute eique resonantem, tanquam imagini, omnibus bonis amplectendam.

A 2

§ 3. Re-

§. 3. Rejicimus inde adumbratam, quæ se ejus imitatricem vult, temerariam atque inconsideratam & plerumque peccatorum vitiorumque laudatricem famam popularem, simulatione formam honestatis corrumpentem.

§. 4. Semper enim abesse debent, quæ speciem gloriæ habent, collecta ex inanissimis splendoris insignibus, ut brevia fugacia & caduca; Cum vera gloria, juxta Ciceronem II. Offic. radices agat atque etiam propagetur: ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidant; nec simulatum quicquam possit esse diuturnum.

§. 5. Illa vero, quæ gloriæ veræ nomen obtinet, perpetua est, juxta illud pro Sestio: *Vita brevis est, gloriæ cursus sempiternus*: Et in Phil. XIV: *Actum præclare cum iis, quorum virtus nec oblivione eorum, qui sunt, nec reticentia posterorum sepulta esse poterit*: Et ibidem: *Brevis vita est, at memoria bene reddita vitæ sempiterna: quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriæque contenderet?*

§. 6. Nascitur autem appetitus ejus cum ipso homine, innuente Cic. Tusc. I: *Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia gloriæ, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur*: Et ibid. *Licuit esse otioso Themistocli: Licuit Epaminonda. Sed, nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, quo quidam demto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis viveret?* Et V. de finibus: *Pueri efferuntur letitia, cum vicerint & pudent victos, ut se accusari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt ut equalium principes sint?*

§. 7. Neque tamen ea ut præda vult appeti. De quo iterum Cicero III. de Orat. *Sapiens virtutis honorem, premium, non prædam petit*: Et Lactantius: *Vult plane, inquit, virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces. Quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe. Sed si aut ingrati universi, aut invidi multi; aut inimici potentes suis virtutem præmiis spoliant, ne, illa se multis solatiis oblectat maximeque suo decore se ipsam sustentat.*

§. 8. Ex qua simul ambiguitate patet gloriæ, græce δόξα, latine opinionem, dignitatem, splendorem, existimationem, famam, honorem atque laudem optime nominari posse. De quibus videntur Lexica.

§. 9. Facile etiam ex dictis Partus cognoscitur Parens, quam
solam

solam virtutem, firmam atque stabilem gloriam progenerantem, dicimus.

§. 10. Neque deest huic utpote filia pulcherrimæ fidelissimus quidam custos, Pudor, summum dedecus repellentis & ad laudem atque gloriam adspirantis motus. Cujus lumen in pueris elucere videmus; inque iis maxime, qui clariori indole, non tam metu doloris, quam timore infamiae & turpitudinis ostensione moventur, omnem potius laborem sustinentes, quam ut patiantur ab æqualibus vinci. Loquente *Otorio de Gloria*, quem in nonnullis hoc capite sequi amavimus.

§. 11. Contra homines absque pudore, vel sint pueri, vel juvenes, viri, vel senes nullum dolorem e turpitudine & infamia capientes; cum errarint & nesciverint, res suas inconstantia perferentes atque stultitia; aut alios ab aliis immutantes & abalienantes, vi magis, quam iudicio obscura odia & ad nocendum levissima, apertas & voluntarias inimicitias contrahentes: animos ad ipsas virtutes, per se colendas & amandas, nunquam adducent.

§. 12. Sed fovent plerumque perniciosissimum illum, quo nemo pestilentior, hostem, invidiam, qui, dum non virtute propria: alienæ virtutis extinctione principem quærit locum.

§. 13. Pessimus is est hostis. Et ubi civitatem semel invasit, non potest non illa esse infelix. Sicuti contra, secundum Hesiodum, *Civitas illa plane beata est, in qua figulus figulo non invidet, sed sapiens cum sapiente certat, justus justum emulatur, fortis cum forti virtutis præstantiam contendit, modestus & continens, ut omnes magnitudine continentia vincat.*

§. 14. Quanquam invidi ipsis sibi tandem noceant & virtuosos sint felicitatis comites. Quod ipsum probe etiam didicisse videtur hospes ille suarum ædium Lipsiensis, in quarum fronte nuper hæc inveniebamus verba:

Invidie baud cedit virtus; nec sibi Sanna

Exitio esse valent, cui Deus ipse favet.

Sic mea fors ridet; sic sic nocet invidus ipsi:

Elevat exiguos sic Deus usque suos.

§. 15. Posset vero hic contra nos totus, quam dirigentium, quam dirigendarum, theoreticarum, quam Practicarum virtutum chorus objici,

objicitur Sapi-
entia, Virtus
directrix in
bono Theor.

§. 16. Et quidem ex dirigentibus, in beatitudine theoretica, Sapiencia; cum eadem præditi sapientes, gloriam quam maxime contemnentes, sciverint, hoc bonum plumæ instar, fugientis insequentem; nec propter se expetibile; nec, in honorantis potestate, possidentis proprium; nec, in pessimos & indignissimos quandoque cadens, honorabile; nec tandem firmum & constans, experientia id multum confirmante. Cujus exemplum fortassis Diogenes in Graeco, Corinthiaco luco, esse posset. Quem, cum Alexander M. rogaret, ut diceret, sit quibus opus esset: *a sole mihi*, inquebat, *velim non obstes; apricanti enim offecerat.* Quo omnia fluxa, casu & fortuna advenientia indicabat, vide supplementa in Q. Curtii Libr. I. c. 2. Resp. (1.) Non sumenda est h. l. gloria strictè, pro signo aliquo honoris externo, v. g. si quis alicui caput denudet &c: Nec, quatenus (2) vi, aut alio modo, præter virtutem, aut virtuosam actionem quaeritur. Sed prout famam, honorem atque laudem sub se comprehendit & pro merito honoris virtute sumitur. Alias, si gloriam collocamus in opinionis levitate, quæ intenta est rebus mortalibus atque fluxis, deformia pro pulcris, periculosa pro salutaribus arripens: nihil tam pugnat cum sapientia, quippe illa amica est levitatis & inimica constantiæ. Exemplum quod attinet Diogenis, dicimus, neque hunc neque alios sapientes veram ex virtute laudem ejusque præmium gloriam neglexisse. Videmus illud ex responsione Alexandri, dum admiratus hominis continentiam dixisse fertur: *Vellem & ego Diogenes esse, nisi essem Alexander.* Quæ laus ipsi a Continentia satis magna est.

§. 17. Et idem responsum esto de cæteris virtutibus in beatitudine theoretica dirigendis.

§. 18. Quod alteram, ex dirigentibus in beatitudine practica, Prudentiam attinet, dicimus hanc virtutem intellectualem esse optimam & perfectissimam in beatitudine practica: Et virtutes morales, seu considerentur ut singulæ, seu ut universæ dirigendas esse, nequaquam pugnantes cum gloria. Ita enim arguimus:

Hæ virtutes omnes sunt appetendæ: E.

Earundem præmium gloria:

Infamia est fugienda: E. gloria est appetenda

§. 19. Objicis vero in specie I. Fortitudinem, cui minime gloriæ desiderium atque cupiditas conveniat; cum tam illa, quam reliquæ virtutes

Objiciuntur
in bono Pra-
ctico Virtu-
tes dirigen-
dæ
I. Fortitudo.

virtutes in animi tranquillitate & sedati constantia habitent; gloria vero, omnem moderationem evertens, audacissimos sæpe habeat fortissimos.

Resp. Non disputabimus, an omnes fortitudinis affectum, utiliter a natura ad sui status conversationem concessum, temeritate & amentia ducti, propter gloriam in suam perniciem vertant? Sed de illo, an vitia atque flagitia inconstantis & inanis gloriæ transferenda sint ad solidam atque veram gloriam? Quod negamus. Deinde de audacibus facile possumus concedere, quod, in æstimatione viventes, gloriam consequantur. At, quia laus illorum non ex virtute, sed inani virtutis imagine est, prædicatio non erit constans, quæ soli honestati competit. Neque a peritis fiet, sed a levi atque repentina multitudinis approbatione momentanea. Itaque audaces, neglectis ad gloriam legitimis mediis, non sunt habendi fortes, sed furiosi; non honesti, sed impuri; non hominum, sed leonum vel bo-um possidentes fortitudinem. Perinde ac si quis jam Ludovici XIV. Regis Galliæ fortitudinem laudibus efferre vellet: is procellam ac tempestatem, turbido impetu templa, turrets, domos totasque civitates & agros cum arboribus fructibusque pervertentem laudaret.

§. 20. Objicis II. Temperantiam, quæ, affectus dirigens, totius honestatis decus atque lumen habeat: gloriæ vero appetentes vix ac ne vix quidem mensuram observare; multo minus voluntatem divinam. Idque probando ab hodiernæ temulentiae atque ebriofitatis, in terra nostra Germana, maximeque apud aulicos nonnullos, vitio. His, non tantum in laude atque gloria habetur strenuis esse potatoribus aliosque poculis posse opprimere, sed ne integer quidem atque bonus ab ipsis æstimatur, impotens evacuandi & invertendi pocula. Cum vero fama horum non sinat in tempore abire: sequitur quod gloria cum temperantia stare non possit. Abirent enim nisi infamiam timerent. At liceat nobis accommodare hic illud Homeri *Ὀδυσσεΐας* T. p. m. 559.

Ὅς δ' ἀνάμυμων, αὐτὸς ἔη καὶ ἀμύμονα εἶδῃ.
Τῶ μὲν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέεσσι
Πάντας ἐπ' ἀνθρώπους πολλοὶ δέ μιν ἐσθλὸν εἶπον.
Qui bonus ipse erit & bona sciet,
Hujus quidem gloriam latam hospites ferent

Omnes

II. Temperantia.

Omnes in homines multique ipsum bonum dixerint:
Et illud Taciti A. XV. c. 23. p. m. 725. Hic gloriae egregiis viris &
pericula gliscunt. Gloria enim, ut ita loquamur, pocularis lubrica
est & inconstans; nec h. l. in poculis, sed in sobrietate atque conti-
nencia quaerenda. Porro quemadmodum olim Illustrissimus Prin-
ceps Mauritius Hassiae Landgravius in Salutipotationem decanta-
vit egregie:

Qui vult alterius cyathis haurire salutem,

Tale lucrum referet perdat ut ipse suam:

Sic nos in ejusmodi laesores famae:

Qui vult alterius cyathis tollantur honores,

Hic noscat famam perdat ut ipse suam.

III. Liberali-
tas & IV.
Magnific.

§. 21. Objicis III. & IV. Liberalitatem & Magnificentiam, illam
dicis, cadere etiam in pauperrimum; hanc in solos Magnificos sum-
tus magnos adhibentes: In neutram vero cadat gloria; cum pau-
pertas obscura sit, Magnificentia vix absque hypocrisi. Sic Tacit-
us A. XIV. c. 40. p. m. 671. de Marcello Asinio Pollione refert, quod
clarus proavo neque morum spernendus habitus, *nisi quod pauper-
tatem praecipuum malorum crediderit*: Et A. III. c. 40. p. m. 236. Ob e-
gestatem maxima peccandi necessitudo. Qua ratione ergo haec
gloriam habebit? De magnificentia etiam exempla non desunt, ut
de Caligula, Nerone, de Persis, de Poppaea Sabina, uxore Neronis, de
Cleopatra, qui omnes, ostentationis gratia, sumtus magnos profude-
runt. Quis hos laudaret? Resp. Quod paupertatem attinet, con-
cedimus quidem illam obscuram esse & ignobilem, si nullae adsint
animi divitiae, quibus fortunae injuria compensari queat. Si vero
virtus adest, tantum abest ut paupertas splendori nominis officiat,
ut potius longe clarius illud reddat. Licet enim corpora mortalia
& caduca gemmis & auro, quo mulieres fulgere conspiciamus, non
fulgeant; neque casae pauperum: Conspiciamus modo eorum a-
nimos natura divinos & immortales, virtutibus locupletes, quas nec
casus eripit, nec invidia labefactat, nec ulla aetas consumit. Neque
domus illa gloria floret, in quam innumerabilis pecunia congesta
est; sed quae abstinentiae & aliarum virtutum exemplis abundat.
Nec ipsa pecunia in arcis, sed pietas in animis & obligatio benefi-
ciorum in universum genus humanum gloriam parit. Et propter
haec etiam mercatoribus est gloria, non propter ipsas divitias. Deinde

nihil

nihil sordidi suscipiunt, nec appetunt, quibus obscuris etiam licet affluere; nec dignitatem ponunt in illis divitiis, quibus abundantes sunt turpissimi; sed dignitate virtutum ornatī, pecunia instrumento utuntur. *Orosius de gloria.* Quod loca Taciti attinet, ex contextu apparet, verba posterioris intelligenda esse de flagitiis & scelere confectis hominibus, qui in egestate absque virtute vixerunt. Ad primum respondemus ex antecedentibus: Esto quod paupertas in se sit obscura, tamen si cadit in virtuosum, nihil officit illius claritati. Et sic etiam Marcellus A.P. fuit clarus, fatente ipso Tacito. De Magnificentia dicimus, quod sc. ea tunc nullam mereatur laudem, si e magnis sumtibus nullus fructus ad publicam utilitatem redundat; neque decore fiunt in res, magnis sumtibus egentes, solius honestatis causa, uti sunt templa, scholæ earumque fundationes, tam universalium, quam particularium.

§. 22. Objicis V. & VI. Modestiam & Magnanimitatem, quibus maxime gloria obstare videtur; cum has virtutes ipse Christus commendat; gloriam vero multoties abesse jubeat. Cogitemus, annon gloriam quærentes cum cælitum copiis e sua conditione detrudi & cum parentibus nostris cæcati, facillime errare & decipi possint, erumpente mox ambitione & superbia? Christus vero humiles ad se vocat, cujus faciem tota ejus vita nobis præfert. Resp. Concedimus quod ob gloriam facile in excessum possit fieri lapsus: at, uti sæpe monuimus, nos inanem & levem laudem, cane pejus & angue, vitare jubemus; eam tantum commendantes quæ stabilis & ex virtute est. Hanc Christus nunquam interdixit; quippe qui rerum Autor non delet, sed erigit naturam; gloriæ vero appetitus animis nostris a natura est insitus. Sic ipse, discipulos suos mundi lucem appellans, gloriam commendat, dicens: Sicuti civitas in excelso loco non occultatur: ita excellens virtus celari non potest. Et cur virtutum præmium gloriam non quæreremus, cum fructus earum tam brevis sit? Prudentia sane, fortitudo, liberalitas, justitia &c. alicujus civis aliquando est salutaris & angustis finibus circumscripta; At fama prudentiæ, fortitudinis &c. non una tantum ætate, sed in multa secula atque prope in infinita consulit; imo valet ad omnem posteritatem exemplo virtutis inflammandam. Aspiciamus modo sanctos Dei homines Rex ipse David Ps. IV, 3 exclamat: *Quousque gloria mea ignominia!* Et Ps. VII, 5, *Si intuli malum &c. persequatur*

V. Modestia &
VI. Magnanimitas.

quatur inimicus animam meam, & assequatur conculcetque in terra virtutem meam & faciat, ut gloria mea in pulvere habitet v. 6. Ita Paulus amore amplectabatur Timotheum; quia fratres, qui Lystris & Iconii ipsi dabant testimonium Act. XVI, 2. Quod græcus textus reddit: ὅς ἐπαεργεῖτο, testibus comprobabatur; Germanice: *Der hatte ein gut Verſichte.* Et 2. Theſſ. 1, 3. iterum Paulus inquit: *Gratias agere debemus Deo ſemper de Vobis, quod vehementer augeſcat fides veſtra, abundet Charitas, adeo ut nos ipſi de vobis gloriemur apud Eccleſiam DEI.* Ex quibus omnibus apparet Chriſtum & ſanctos Dei homines non interdixiſſe nobis vera ex virtute laude, ſed inani, inanis populi, laudantis caduca & fragilia: Eam quæ ſimulatione exiſtit nec tendit ad gloriam Dei & Reipubl. ſalutem, ſed ut ultimum bonum aſpicitur. Tale alicujus civis opus eſt ſpecie honeſtum; quia ita illud molitur, ut in humanam laudem, tanquam ultimum actionis finem, vergat, non expectans fructum laudis, ſed laudem ipſam atque gloriam. Nihil ergo obſtat quod humilitas maximum pietatis ſit fundamentum, & gloria conveniat magnis in hoc mundo. Hæc enim non pugnant; quia certo reſpectu humiles & magnanimi ſumus. Humiles ſi omnia in mundo & tandem ipſa noſtra corpora, miſerrimæ conditionis, caduca & corruptibilia videmus: Magnanimi vero ad perfectiora adſpirando; adeo ut nec præſentia nec futura, nec pericula, nec ipſam mortem extimeſcamus. Quæ ergo diſcrepantia apparet, illa nominis eſt; uti mons, qui comparatione mox humilior, mox exaltatior eſt. Et ita omnes humiles poſſunt eſſe magnanimi, & magnanimi humiles.

VII. Manſuetudo.

§. 23. Objicis VII. Manſuetudinem, quod hæc modum obſervet circa iram; gloriam vero quærentes facile ſint irritabiles, facile amarulenti; imo & crudeles. Sic propter hunc affectum Tiberius, eum antea vita & fama bene audiviſſet, Tyrannus evaſit. De quo Tacitus Libr. I. A. c. VI. p. m. 8. refert: *Primum facinus novi Principatus fuit Poſtumi Agrippæ cædes.* Et eodem Cap. *Auguſtus in nullius unquam ſuorum necem duravit. Neque mortem nepoti, pro ſecuritate privigni inlatam, credibile erat. Propius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis ſuſpecti & inviſi juvenis cædem feſtiſſe.* Quod ex eo dum gloriam ſolus aucupari, omnem facere ſuam, nec habere parem, voluit. Unde Saluſtii, Crispi & Livix monitum ipſi diſplicere non potuit: *Eam eſſe conditionem imperandi, ut*

non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Sic, propter eandem
gloriæ cupiditatem, odio habuit Germanicum, fortissimum suo
tempore Principem; quia spes & populi favor in eum, referente Taci-
to A.L.c.33 p. m. 41. Nam juveni civile ingenium, mira comitas & di-
versa a Tiberii sermone, vultu, arrogantibus & obscuris. Adversum
itaque est mansuetudini gloriæ studium. Sed Resp. Qui veræ glo-
riæ student, in illa vitia non prolabuntur. Tiberius Tyrannum ex-
ercuit non propter affectum ipsum gloriæ, sed propter abusum hu-
jus. Non enim coluit, sed finxit virtutes. Quod ipsum dilucide
ex A. VI c. LI. p. m. 437, apparet, ubi, ejus vitam enarrans Tacitus,
inquit: *Morum tempora Tiberio diversa: egregium vita famaque quo-
ad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit, occultum ac subdolum fin-
gendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter
bona malaque mixtus, incolumi matre &c. Postremo simul in scelera ac
dedecora prorupit, postquam remoto pudore (de quo §. 9. quod custos glo-
riæ sit, diximus) & metu, suo tantum ingenio utebatur. Quia ergo fin-
xit Tiberius virtutes, quas gloria, ut umbra solem, sequitur, remotis
virtutibus, gloriam habere non potuit; sed tandem more cicinde-
larum, lumen aliorum extinguere, volitantium injectu multæ vestis
fuit oppressus Ann. VI. c. 50. Quod responsum esto omnibus, qui glo-
riam a mansuetudine separatam, ejus studio hanc virtutem corrup-
pi putant.*

§. 24. Quæ discrepantia gloriæ cum cæteris virtutibus mora-
libus, in conversatione; & quidem IIX. veritate, quæ cordis & oris
congruentia est, inque excessu & defectu mendacium, vel simula-
tionem & dissimulationem habet, ostendi posset, ex dictis hætenus
constabit, quomodo illa diluenda sit; cum & hic summa laus & glo-
ria homini nascatur. IIX. Veritas.

§. 25. Quod etiam IX. de Comitatu seu humanitate, in conver-
satione seria oblectando modum observante affirmamus; cui in
excessu adulatio & defectu morositas opponitur. IX. Comitatus.

§. 26. Idem etiam X. de Urbanitate, in conversatione jocosa, X. Urbanitas,
evitante scurrilitatem in excessu, & rusticitatem in defectu, dicimus;
cum & illa, jucunde animos hominum alliciens, ingentem merea-
tur laudem.

§. 27. Quod tandem justitiam attinet, quæ in distribuendis
commutandisque rebus externis modum observat, non opus est ut
dispu- XI. Justitia.

disputemus; cum tam ex lumine naturæ, quam gratiæ discamus, quanta fama, tam apud præsentis quam apud posteros ex hac virtute nobis relinquatur.

§. 28. Et hæc de gloriæ essentiæ, quatenus ea ex virtute est, disputavimus.

CAPUT II.

De Gloria existentia.

§. I.

Cap. II.

TRiplicem in libello de Moribus Germanorum tractationem nobis Tacitus exhibet: De Germanorum *Origine & Moribus in commune*, & de singularum gentium *instituti ritibusque* quatenus differunt. De primo & tertio agere adeo instituti nostri non tuit; siquidem Cap. 3. de Germanorum moribus Autor incepit agere. Interim tamen, quia Cap. 2. magnum nostrorum amorem erga suam patriam adducit: ἐν παρῶν breviter de eo disserere voluimus. Verba Taciti Cap. 2. hæc sunt: *Quis præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam celo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?* Idem hic in animis Germanorum affectus, quem olim magna dulcedine declarabat Ulysses apud Homerum Odyss. 3 p. m. 237.

Εμὸν, dicens, ἔπειτα θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἐπειθοῦ

ὣς ἔδεν γλυκίον ἢς πατρίδος, ἔδ' ἐτοκῆων

Γίνεταί, εἶπερ καὶ τις δ' ἴπ' πρότι, πῖονα οἴκον

Γαίην ἐν ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἀπάνευθε τοκῆων.

Meum dicens, nunquam animum intra præcordia persuaserunt

Ut nihil dulcius sua patria, neque parentibus

Est, etiamsi & quis longe divitem domum

Terra in aliena habitet, seorsim a parentibus.

Ex quo quidam naturæ vinculo patriæ homines obstringi affirmarunt: Sed Berneggero Quæst. Misc. quæst. IV. amore potius atque consuetudine fieri videtur; dum scribit: *Amamus illam terram, quæ primanos excepit in lucem editos: in qua infatigata nostra vagiit, pueritia lusit, juvenus exercita & educata est: cujus hausimus aerem; ubi familiare oculis cælum, flumina, agri: ubi longa serie cognati, amici, sodales & tot gaudii illecebræ, quas frustra terrarum alibi queramus.* Et ipse

ipse Seneca causam consuetudini tribuit, quod Germani tam horrida patria, tamen delectentur. *Miseri tibi videntur? querit: Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit.* Et ipse Autor C. 62. lib 2. A. hunc affectum non naturalem ostendit; cum levis saepe causa patriæ nomen tollat. Verba de eo sunt sequentia: *Romani negotiatores in Germania reperti, quos jus commercii, dein cupidus augendi pecuniam, postremum oblivio patriæ suis quemque a sedibus in agrum transtulit.* Unde jussu naturæ affectum illum promanare non affirmamus; utpote qui pro occasione cujusvis facile mutabilis & inconstans est. Quemadmodum illud vivo suo exemplo hodie testantur nostri Itali & Galli, cupidine augendi & auferendi pecuniam e Germania, Germane apud nos agentes.

§. 2. Deinde etiam illud eodem capite transire nolimus, quod ab ipso nomine Germanis non exiguum decus oriatur. Ansam suppeditante, Berneggero, quando varias etymologias adducens, dicit: *Majorem aliquanto esse eorum sectam, qui quasi germanos fratres dictos, existiment: De causa tamen hujus appellationis in diversas abeant partes.* Sic Conradus Celtes, primus Germaniæ Poeta, a fraternæ dilectione hoc nomen sortitus, arbitratur, quod se mutuo ament, ut Germani, seu fratres genuini. Sic enim ille in principio descript. Germaniæ:

Germanos vocitant Itali, Graeci sed ἀδελφοί,

Quod fratrum soleant inter se vivere more.

Ægidius Tschudus, in Epistola ad B. Rhenanum, ideo illis datum nomen ab exteris putat, cum sese mutuo in bellis fratres compellent, ita ut Duces exercitus, quando milites alloquuntur, eos *ihre Brüder* vocent, quos Romani olim commilitones appellavissent. Strabo libr. VII. Geograph. dicit: *Germanis, nationem Gallicam paulisper imitantibus, Romanos hoc nomen indidisse, perinde ac eos fratres legitimos Gallis dicere voluerint. Legitimi namque fratres Romano sermone Germani dicuntur.* Rectius tamen alii, secundum Berneggerum, contendunt purum putum vocabulum Germanicum id esse. Atque hi quidem omnes de posterioris dictionis membro consentiunt, quod sit nostrum illud *Mann*/ quod cum suo substantivo *Mannheit*/ tam de sexu quam fortitudine capitur: De priori tamen dissentiunt. Aliis videtur conflatum ex *Ger* & *Mann*; quia *ger* Veteribus erat quod jam est *gar*/ i. e. prorsus, omnino. Unde propria nostratia *Gerhard*/ prorsus durus; *Gertrud* omnino fidelis. Et sic Germa-

nus fuerit dictus quasi gar ein Mann / Garmann / prorsus vir. Alii Germanum appellatum quasi Hermann, h. e. militem virum g in h mutato, more Hispanorum, qui pro Germanus dicunt Hermanus. Quæ duæ postremæ sententiæ ad nostram gentem sunt commodissimæ & cuius facile placere possunt.

Cap. III.

§. 3. Pergimus nunc ad Cap. III. ubi, a virtutibus Germanorum incipiens Autor, affectum fortitudinis adducit, vi cuius sese invicem accendant, parati ad pugnam. Verba ejus hæc sunt: *Sunt illis carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos futuræque pugne fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur.* Et profecto morem hunc non solum apud Germanos, sed etiam apud alias nationes obtinuisse, constat. Curtius enim libr. III. tam Persis, quam Macedonibus eam consuetudinem adscribit: Livius Romanis libr. IV. XXX. & XL: Cæsar Gallis libr. 3. & 7. *Hostes, inquit, committunt prælium utrinque clamore sublato.* Mos etiam adhuc est Turcis: & apud Israelitas fuit, Josuæ c. V. 5. Cujus præcipuam rationem Cæsar, libr. 3. de Bell. civ. c. 82. adducit: *Non frustra, scribit, antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamorem univèrsi tollerent: quibus rebus & hostes terreri & suos incitari existimaverunt.* Quod vero ipsam vocem in textu attinet, variorum ejus sunt lectiones. Invenimus enim *Baritum, Barritum, Barditum & blaritum.* Lipsius legit *Baritum*, ut sit vox nostras *bären* aut *bären* / clamare, vocem tollere, in not. ac Tac. Germ. p. m. 543. Farnes. *Barditum*; vel quod bardus, piger & tardus dicatur a tarditate ingenii, ut Cic. pro Cicin. hoc sensu voce utitur: Vide Calepin. lit. B. vel quod Bardi Gallis dicerentur Cantores sive Poetæ, homines, fortia illustrium virorum facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitantes. Quia vero, laudabilium doctrinarum studiis incumbentes, ad militiæ munera non proni essent, hinc forte Bardi nominati, h. e. tardi. Et ab horum Bardorum cantu Barditum dictum putant, quo per initium pugne Germani Gallis contermini, usi sunt. Althamerus *Blaritum* vult Germanico item verbo a *blären*. Nonnulli textus legunt *Barritum* a similitudine inconditæ vocis Elephantis, quem barrire dicunt; unde & barrus latinis elephas. Sed Lipsius in notis, citata pag. errare, inquit, illum, qui ab elephantis barritu deducat, Germanis tunc ignoti.

Con-

Concludimus vero in textu Taciti *Barditum & Baritum* legi posse, non deficiente utriusque ratione.

Cap. IV,

§. 4. Cap IV. De connubiis Germanorum Autor agit, insignem commendans consuetudinem quod cum peregrinis non contraxerint matrimonia; *Ipse, inquit, eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos, nullis aliis nationum connubiis infectos, propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse, arbitrantur. Unde habitus quoque corporum idem omnibus, truces & cerulei oculi, rutila comæ, magna corpora &c.* Quæ omnia egregia Germanorum attributa sunt. Quibus & quartum accessit, *candor cutis.* An vero adhuc hodie est *similis proceritas?* Vide Cap. XX. hujus libelli Num *candor omnibus cutis?* Num *oculi casti & flavi pili?* Oculi nos docent contrarium. Cujus si causa reddenda esset, leviora, quæ nonnulli a temperie regionis deducunt argumenta, non proferremus. Sic enim eadem & nobis esset proceritas; cum hodiernis Germanis idem cælum, quod Veteribus, manserit; & teste Tacito Cap. V. hujus Libelli, idem aer in Germania pecora habuerit improcera; homines vero proceros. Si vero ex terra informi excultiorem factam objiceret; & sic ob mitigationem aeris mutationem diceremus haut idoneam illam esse huic mutationi; præterea eandem hodie asperitatem esse cæli, quæ olim. Graviora autem profert Tacitus, qui nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos: et Cap. XX. dominum & servum nullis educationis deliciis dignotos: Et feram juvenum venerem; eoque inexhaustam pubertatem: Et Cap. XVII. severa illic matrimonia fuisse scribit. Adhæc Cap XXIII. potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus de quo vide §. 64: cibi simplices agrestia poma, recens fera aut lac concretum fuit. Quibus sine apparatu sine blandimentis expulerunt famem. Nunc Tu hodie aspice mores; & disces unde exoticus habitus & infectio propriæ sinceræ sui que similis gentis. Nam uti sanguinis, ita etiam morum facile potest trahi labe. Verba sunt Berneggeri, Qu 12; addentis insuper, quod præcipuum conjugii bonum concordia sit. Quo etiam spectavit ritus Romanorum altero nuptiarum die solitus, quando exemptum hostiæ fel circa aras projecerint, cæteras partes adolentes, omen concordis & sine fellethorri. Concordia autem vix inter eos, qui gente, genio, ingenio & moribus discrepant, locum habere potest. V. g. si Germanum, quæ gens liber-

libertatis studiosissima semper extitit, alicui Moscæ, quas servilibus supra fidem, ingeniis demissas esse, ajunt, jungere velis, par impar admodum erit, nisi quis per modum, *verbera sc.* qui ex Baronis Herbersteinii Hist Mosc. traditur, ad paritatē reducendam putaverit. Et ipsa Scriptura Gen. 28. v. 1. Exod. 34. v. 6. extra suos fines connubia improbat. Quanquam non negemum, Magnatum, haut raro publicæ salutis intuitu & circumstantiarum diversum suadere conjugia. Suvius vero est e suis Popularibus, explorata fide, uxorem, etsi aliquanto inferioris notæ, quærere, ad majorum nostrorum institutum. De voce perpetua, quam Lipsius, non probans tamen, ex Bambergensi codice adducit pro propria; dicimus quod Colero etiam non arrideat. Neque rei videtur accommodatum. Tria enim, quæ ponit Tacitus, nihil aliud sunt quam idem alio modo, majoris affirmationis. Vide not. Var. ad hoc cap. p. m. 597. & Hermann. Conring in Tac. Germ. p. 89.

§. 5. Eodem Capite Autor meminit Temperantiæ Germanorum circa alimentum humidum seu potum: *Germanos scribens, minime sitim æstumque tolerare frigora atque in ediam cælo solvere asseverunt.* Ubi non tam ab antiqua memoria, quam a novioribus seculis Germani ignominia exponuntur, quod nimis poculis indulgeant. Autor satis modeste loquitur, dum causam sitis adjungens, facilius cum Germanis condescendit, qui sitis cupiunt extinctionem. Morlaces autem sunt nostri seculi homines, dum obtrectatores sitis, rationes ejus tacent. Sic satis audacter, ut alios prætermittamus, Joh. Ovvenus libr. I. Epigr. ludit:

Mersum in nescio quo verum latitare profundo

Democritus, nemo quod reperiret, ait.

Si latet in vino verum ut proverbia dicunt,

Invenit verum Teuto vel inveniet.

Sic Henricus IV, Rex Gallorum festive & promte, cum extractum a quodam Germano facellam perlustraret, & dictum animadverteret ex Ps. 116, 7. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi?* Objiciebat: addere debuisset Germanus sequentia in Psalmo: *Calicem accipiam.* Vide Bernegg. Quæst. Misc. Qv. XV. inquentem, quod hi homines bibacitatem quidē nostram arguant, & de vehementiori siti nihil dicant; nec illud cogitent esse temperantiozem Eum qui, sic exigente natura & urgente siti, plus bibit, quam qui minus, sed ultra

naturæ

naturæ modum haurit. Referunt vero naturæ Consulti hanc causam ob quam siticulosi Germani, quia sint habitu calidiori ad quem calorem restringendum, potu sæpius uti necesse habeant: Calor autem ille internus acuatur ab ambiente frigore. Quicquid vero hujus obrectationis sit, injuriosi sunt & minus modesti, objicientes id, quod apud nos est pravaram consuetudinum. Vivimus & bibimus modestius; & si reperitur hic, vel alter a sotus, non debet is affricare toti nationi infamiæ scabiem; multo minus propriū dicere Germanorum, quod honesti tantum accidens sciunt. Et posito, hoc vitium plurimum nobis posse objici: Compensamus tamen illud multis aliis egregiis virtutibus, in comparatione aliarum nationum, ubi multa graviora vitia vigent. Quod ipsum non latuit Poetam illum Germanum, Italo, impatientiam sitis exprobranti, acutissime respondentem:

Ut nos dulce merum sic vos venus improba vexat.

Quamvis alii populi ab hoc vitio non sint immunes. Vide hoc nomine Plinium exagitantem Romanos & tacentem Germanos. Iterus libr. III. c. III. Eth. 137. p.

§. 6. Capite V. Insignem probat Germanorum usum auri argenti atque pecuniæ; uti & vitæ sustentandæ genus: *Armenta, inquit, sola & gratissima sunt opes. Argentum & aurum propitii an irati Dii negarint dubito & c. Possessione & usu haut perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis & principibus eorum muneri data, non in alia utilitate, quam quæ humo finguntur. Quanquam proximi ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt & c. Pecuniam probant veterem & diu notam, ferratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi; sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ac vilia mercantibus. Ex omnibus his enarratis maxima majoribus nostris existit gloria. Quod enim armenta, gratissimas illorum opes, attinet, constat ex Scripturis, quam jucundissime ipsos Patriarchas arriserint. De possessione vero & usu auri, argenti, ut & monetæ laudes eorum tantæ sunt, ut hodiernis Germanis pudorem injiciant. Nec inconcinne hac in re ad nostra tempora applicamus acutissimi Ovidii verba:*

Tempora Saturnus dulci dedit aurea mundo,

C

Jupiter

Cap. V.

Jupiter incipiens deteriora dabat:

Pejor adhuc illis successit ahenea proles,

Et reliquis etas ferrea pejor adest.

Sic igitur semper pejus pejora sequuntur,

Nec sunt ad fuerant secula nostra prius.

Scrutati sunt hodie Germani venas auri & argenti, & propitius Deus non negavit. Quid vero mirum, quando hodie negat; cum possessione & usu longe aliter afficiamur? Scilicet avaritia, aut aliis vitiis corrupti, non ob usum, sed ob pessimam possessionem aurum & argentum in pretio habemus. Et, quod dolendum, multi non ulterius pecuniam veterem & diu notam probant, sed novam & nunquam notam. In eo tamen convenientes cum veteribus, quod argentum magis quam aurum sequuntur, deperdita animi affectione; dum numerus argenteorum pessimis monetariis & nummulariis facilius usui est, pretiosa mercantibus, pecuniam veterem; & promiscua, vilia ac ahenea reddentibus. Quales vero nummi Serrati Bigatique, haut temere dixeris, Conringius in Tac. Germ. p. m. 89. Nec verisimile putat a figura impressa ita dictos; quia ex immensa nummorum veterum copia non facile unus possit ostendi serratus insignitus. Quod & Lipsius annotavit: *Diu hos serratos nummos quero, homo alias non appetens valde nummum. Serrati, inquit, nummi quibus serræ forma impressa seu incusa, ut bigati quibus bigarum. Et de his quidem clarum est. Oculi me docent quotidie. At, de serratis, quis, obsecro, in tanta ista copia nummorum veterum, unum aliquem protulit, aut proferet cum serræ? Non vidi, non legi.* Servat autem lectionem & capit serratos eos, quorum ambitus dentatus atque asper in modum serræ; quæ proba nota & nihil periisse longo usu, aut refectione. Nummos ego quosdam argenteos ita formatos usurpasse, his oculis sum certus, dicit.

Cap. VI.

§ 7. Capite VI. removet a Germanis pessimum illud jactationis in cultu vitium: *nulla cultus jactatio, inquit: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt.* A quo diversissimi sunt iterum nostri mores. Libentissime enim hodie excrementis superbiunt, seque applausu stultæ plebeculæ, vel adulatorum laudibus metiuntur, Sub quorum purpura non raro leguntur sordes & dehonestamenta generis humani.

§ 8. De instructione militum in acie deque eorum fortitudine

dine in præliando eodem capite legimus: *In universum æstimanti plus penes peditem roboris: (quam scilicet equitem) eoque mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.* Ubi res ipsa, tum experientia loquitur, quantum insit in acie disponenda momenti. Nam si sapienter ea disponitur, plurimum juvat, si imperite, quamvis optimi bellatores, mala dispositione franguntur. Cujus rei præceptum nec antiquius, nec melius est illo Homérico Iliad. A. p. m. 145, ubi Nestoris in instruenda acie describit artificium:

Ἴππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν ὄχεσθαι
Πεζῶν δ' ἐξ ὀπίθεν σῆσεν πολέας τε καὶ ἑθλῶς
Ἐκθ' ἔμεν πολέμοις κακῶς δ' ἐς μέσσον ἔλασσει
Ὀφθα καὶ ἐκ ἐθέλων τις ἀναγκάμην πολεμίζη.

*Equites quidem primum cum equis & curribus:
Pedites vero a tergo constituit multosque & strenuos
Vallum ut essent belli; Ignavos autem in medium coegit,
Ut etiam non volens quis necessitate pugnaret.*

§. 9. Nec non stratagematis genus hoc capite narrat Autor & flagitium aliquod bellicum, valde odiosum Germanis: *Cedere enim loco dummodo rursus instes consilii quam formidinis arbitrantur. Scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire, ignominioso fas est multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.* Ad hoc quod fugam attinet, commodam nemo vituperabit; securitate enim, frequentissimo calamitatis initio, tentat hostem. Cujus exemplum videmus apud Cæsarem libr. I. c. 8. p. m. 131. ubi Galli cohortati inter se, *ne speratam prædam ex manibus dimitterent, longum esse, perterritis Romanis, Germanorum auxilium expectare, neque suam pati dignitatem ut tantis copiis, tam exiguam manum præsertim fugientem atque impeditam adoriri non audeant: Flumen transire & iniquo loco prælium committere non dubitant.* Que fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris placide progrediebatur, donec hostem impedito loco tenens signa ad hostem converti & aciem dirigi jubet. Hostes ubi præter spem quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam coniecti proximas sylvas petiverunt. Cur autem scutum reliquisse præcipuum flagitium fuerit, Berneggerus Quæst. Misc. qu. 29. dicit, recte Demeratum re-

spondere apud Plutarchum in Laconicis ideo; quia galeam aut thoracem & gladium, cui tamen multi inter arma principatum deferant, sua ipsorum causa gererent, scutum vero communis exercitus gratia; significantem unicuique pluris esse faciendam communem utilitatem, quam propriam. Qui enim galeam abiecit aut thoracem, se ipsum tantum perdit & exarmat, qui vero scutum, prodit universam phalangem, quia obtentu clypeorum tota acies tuta est adversus hostium jacula. Gladii vero jactura in hoc videtur levior esse, quam scuti, quod potior semper ac prior habetur se patriamque tuendi, quam hostes laedendi cura. Est autem, ut ad offendendum praecipue gladius, ita ad defendendum clypeus comparatus. De quibus plura legi possunt apud ipsum Bernegg; & ad hoc Cap. Not. Var p. m. 607. n. 3.

Cap. VII.

§. 10. De eligendis belli ducibus Cap. VII. admodum cauti fuerunt Germani, quando diligentissime ad eorum virtutes adverterunt: Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt, item: Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agunt admiratione praesunt. Idem etiam Tacitus An. libr. II. c. 22. de priscis Romanis laudat: Apud majores virtutis premium erant Magistratus, cunctisque civium si bonis artibus fiderent, licitum petere: Et Plutarchus: Ille venator non querit, quod tali cane natum sit, sed canem Et eques equum ipsum, non quod ex equo: ita vir politicus tota via errabit, si in Rectore non requirat quis sit, sed e quibus. Quod ipsum optandum de iis, qui hodie in Rectoribus belli nobilitatis fundamentum, relationem ad majores, aspiciunt non inquirentes in illorum virtutes quam digni sint.

§. 11. Et inde non minus circumspecti fuerunt nostri ad ipsos milites in bello pugnatueros, videndo. Quodque praecipuum incitamentum, inquit Autor, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familia & propinquitates. Quod etiam rationibus carere non videtur. Copiae enim validiores sunt quando ex amicis congregatae, utpote qui amore mutuo citius pericula subeunt, quam si ex ignotis consent. Exemplum elegans adducit Autor Ann. 12. c. 33 p. m. 514. de Britannis, quibus Imperator fuerat Caractacus praeminens caeteros Britannorum, quem multa prospera & ambigua extulerant, is, additis qui pacem Romanorum metuissent novissimum casum experitur, sumto ad praelium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna & suis in melius essent &c. Catervae majorum pro munimentis constiterant. Quam vocem Lipsius corrigens, legit, catervae nationum

num. Quia ita solitum Britannis Gallisque struerè aciem per nationes
ut discreta virtus eluceret. Vide ejus Not. in hoc Cap. p. 310.

§. 12. De pœna militum sumenda etiam religiosi fuerunt Ger-
mani; *Cum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare qui-
dem, nisi sacerdotibus per missum, non quasi in pœnam, nec ducis
jussu, sed velut Deo imperante quem adesse bellanibus credunt.* Quod
institutum non mirum alicui videri debeat, Bernegg. *Quæst.*
Misc. qu. 37 inquit; cum apud alias quoque gentes hoc muneris
honestos, nec raro magni nominis & autoritatis viros obiisse constet.
Sic Samuelem Prophetam Agagum Regem in frustra coram Domino
concidisse 1. Reg. XV. v. 33: Sic Levitas Mosis jussu per castra vagatos
multa millia scortatorum & idololatrarum peremisse Exodi 32. 26:
Ita legibus Hebræorum nobilissimos quosque, si testes capitalium
scelerum constituti, eosdem carnifices egisse, non modo honestum,
sed etiam necessarium fuisse. Deut. c. XIII, 9. Et adhuc in Anglia
extremum pietatis officium habetur, si quis parentum, fratrum,
propinquorum condemnatorum carnificem agit, iisque, de trabe
humili pendentibus, gulam frangit. Bodinus Lib. III. de Rep. c. 8
Ita veteribus Germanis hoc muneris subire nequaquam fuit ignomi-
niosum sed potius honorificum duxerunt. Et hodie in quadam
imperii urbe gladium extare, Camerarius Cent. 1. op. succis. Cap. 76.
recenset, rubigine propemodum exesum, quo olim coactus fuit is, qui
postremus in senatum accitus fuerat supplicium de fontibus sumere.

§. 13. In fine hujus capituli, ut & initio cap. IIX summam
commemorat Autor erga viros suos mulierum fidem: *Nec matres &
conjuges vulnera numerare, aut ex fugere plagas pavent. Cibosque
& hortamina pugnantis gestant: Memoriae proditur, quasdam acies
inclinatas jam & labentes a foeminis restitutas constantia precum
& objectu pectorum, & monstrata cominus captivitate. Idem
exemplum refert Justinus de persarum mulieribus libr. I. c. VI.
Nam, cum pulsa persarum acies paulatim cederet; matres & uxores
eorum obviam occurrunt, orant in praelium revertantur: cunctantibus,
sublata veste, obscena corporis ostendunt, rogantes, num in uteros
matrum vel uxorum velint refugere? Hac repressi castigatione in praelium
redeunt: & facta impressione quos fugiebant fugere compellunt.* De
quibus plura tam apud Tacit, quam Just. exempla passim occurrunt.

§. 14. Cap IX. Deorum cultus ab Autore describitur: Deo-
rum maxime, Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis

litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant.
Ceterum nec cobibere parietibus Deos neque in ullam humani oris speci-
em assimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur: Lucos ac nemora
consecrant deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola
reverentia vident. Libr. II. Hist. c. 78. p. m. 1010. similem huic lo-
cum adducit autor his verbis: Est Judæam inter Syriamque Carmelus,
ita vocant montem Deumque. Nec simulacrum Deo aut templum (sic tra-
diderunt majores) aram tantum & reverentiam. Quod Lipsius in notis
p. m. 491. corrigit: Ara tantum & reverentia. Silius Libr. III. paris-
simum de Herculeo fano ad Gades tradit:

Sed nulla effigies, simulacraque nota deorum:

Majestate locum & sacro implevere timore

It. noster Hist. Libr. V. c. 5. p. m. 12. c. 2. Judæi mente sola unumque nu-
men intelligunt. Profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in
species hominum effingunt. Summum illud & æternum neque mutabile,
neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis
sunt. Unde videmus certa ratione Judæos & Gentiles convenisse in
hoc instituto. Et superiori seculo iconomachi idem institutum inter
Christianos maximis turbis quæsi verunt. Ratio Germanorum in
textu legitur; quia deorum magnitudo impediret, cum summi essent
& non paterentur ædibus includi nec posse. Judæorum vero & Ico-
nomachorum rationes stabiliri videntur Es. XL. v. 18: cui assimilabi-
tis fortem & quam similitudinem comparabitis ei? At, Germani, tunc tem-
poris in religione sua cœci, potius dolendi sunt, quam ridendi. Judæi
vero & Christiani paulo attentius considerare debuissent præceptum
Exod. XX. v. 4. ne facias tibi sculptile, aut ullam imaginem NB. v. 5.
ut incurves te, ut honorem exhibeas eis: Lev. XXVI. v. 1: Ne facite vobis
idola & vel sculptile aut statuam, ne erigitote vobis in terra vestra, ut in-
curvetis vos ante eam: et Deut. V. 14. Ne facias tibi sculptile aut
ullam imaginem, ne incurvans te illis, neque colas ea. Proinde non sim-
pliciter imagines prohibentur, sed quæ propter cultum adorationis
instituuntur. Alias historicarum imaginum, quæ vel ad monumen-
tum rerum gestarum, vel ornatus gratia sunt, usus in sacris ædibus
non prohibendus. Quod Deus ipse præcepit Exodi XXV. v. 18.
Et facies duos Cerabinos aureos &c. Sicuti vero angeli spirituales sunt &
quoad naturam suam exprimi nequeunt & tamen pinguntur prout ho-
minibus se patefecerunt: Ita quoque, quando Dei fiunt imagines,

non

non essentia ejus exprimitur, sed patefactio illa, in qua sub certa forma olim se manifestavit ut Dan. VII. *Videbam &c. & antiquus dierum sedit, cujus vestimentum, ut nix, album.* Quando vero in textu legitur, Deorum maxime Mercurium coluisse: plura ac certiora de religione Germanorum Tacito notandū Lipsius adhuc verba monet p. m 546. quam Cæsari, qui contra scribit Lib. VI. *Deorum numero eos solos ducunt, quos vident, solem, Vulcanum & lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Falso. Nam noster etiam Ann. XIII. scriptum reliquit: *ab Hermunduris diversam aciem Marti & Mercurio sacratam.* Cui humanis hostiis litare fas habuerunt. Quod Gallis & Germanis commune. Et mansisse eam diritatem, Lipsius notat, etiam inferiori ævo: Procopius Lib. II. de Bello Goth. ait, *Francos, etsi Christum jam coluissent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos.* Ditmarus Lib. I. Normannos & Danos quotannis mense Januario *Dis suis immolasse 99. homines totidem equos cum canibus & gallis.* Ab eaque barbarie Henricum Aucupem primum eos abduxisse. Vide de hoc plura ap. Lips. loc. cit.

§. 15. Cap. X. auspicia. sortesque adducit Autor. Cum vero nihil dignum hic notatu ad nostrum institutum occurrat, pergimus

§. 16. Ad Germanorum Concilia Cap. XI. *De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.*

Quod rationibus non caret. Si enim de iis, quæ ad omnes pertinent, solus princeps judicat: facile evenire potest, quod Autor An. I. c. IV. scribit: *Nihil prisca & integri moris manere, ubi omnes, ex ætate æqualitate, jussu principis aspectant.* Unde pessimum erat illud Salustii Crispi monitum ad Liviam initio novi principatus Tiberii: *Ne arcana domus, ne consilia amicorum ministeria militum vulgarentur; Neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando: eam esse conditionem imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.* Callidum erat & non approbandum in tanta imperii mole; cum plus videant oculi, quam oculus. Unde egregie Tiberius, si fides in oratione fuisset, A. I. c. II. coram senatu: *In civitate tot illustribus viris subnixæ, non ad unum omnia deferenda, plures facilius munia Reip. sociatis laboribus exequi.* Et se ipsum in partem curarum ab Augusto vocatum, experiendo didicisse, quam arduam, quam subiectum fortune cuncta regendionus. Grotius argute pro pertractantur, scribit præ tractantur. Ut penes Principes minorum rerum arbitrium, majorum *περὶ βελία* fuerit. Conring ad Tac. Germ. p. 90.

Quo-

Cap. X.

Cap. XI.

Quomodo enim, si apud Principes pertractantur negotia eorum, arbitrium penes plebem dici potest? aut si arbitrium plebis est, quomodo apud Principes demum pertractantur? Nam hoc saltem dicit Tacitus: *minora principes, majora populus pertractat: sed quæ populus, eadem tamen ante & principes tractant.* Colerus: egregiam Tacitus describit Reip formam, apud gentes, in hoc sane non barbaras, sed quam corrumpit vox una corrupta, pro qua scribendum non ambigam *pertractentur.*

§. 17. De modo conveniendi eodem cap. extat: *Illud ex libertate vitium, quod non simul nec iussi conveniunt, sed & alter & tertius dies contatione coeuntium absumentur.* Bambergensis habet *iussi.* Rhennanus in veteri codice legi ait, *nec iniussi.* Ex quo bene etiam scripseris, Lipsio iudice, *nec ut iussi.* Hoc est, non tanquam ex lege & imperio, ut ad diem edictum religiosa observatione occurrant; ad imperium indigentium, sed velut commodo & arbitrio suo. Alias contatio commoda non est vituperanda, de quo ipse Autor Cap. XXX. *Velocitas juxta formidinem: Contatio propior constantiæ est.* Et libr. I. Hist. c. 32. p. m. 855. scribit: *Scelera impetu, bona consilia mora valescunt.* Quanto enim major cogitatio rebus additur, tanto melius aguntur, & ratio potiore occupat locum. Sin secus parva sunt foris arma, nisi sit consilium domi I Off. Cic. Et idem: *non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magne geruntur, sed consilio, autoritate & sententia.* Cum honestum efficiatur animi, non corporis viribus I. Off. Et ibid. *in omnibus negotiis, prius quam aggrediare, adhibenda est preparatio diligens. Melius enim curantur ea, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur.*

§. 18. Videmus vero ex iis formam Reip. Germanorum fuisse Democraticam. Et inde ipsis facile concedendum, cum non simul, nec iussi convenerint ad præstitutum diem, insitaque libertate imperium minuentes, eadem invicem usi fuerint. Vide Bernegg. qu. 55, dicentem posse democratiam aliarum formarum admixtione ita corrigi, ut accommodatissima civitatibus efficiatur, exemplo tunc temporis, amplissimæ Reip. Argentoratensis.

§. 19. Id quod nos etiam de Rep. Germanorum dicere possumus; quoniam ea, quorum penes plebem arbitrium fuit, etiam apud Principes tractata fuerunt; silentium per sacerdotes, quibus tum & coercendi jus fuit, imperatum. *Mox Rex, inquit Autor, vel Princeps, prout*

etas cujusque, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, autoritate svadendi magis, quam jubendi potestate. Cur vero sacerdotes ad consilia sua admiserint majores, illius ratio ex Cap. VII. videnda, ubi neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus permillum; non quasi in Pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo Imperante, quem adesse bellantibus crediderunt, cujus voluntatem sacerdotes scire dicebant & jussa profequi.

§. 20. Delicta, quæ gravissime puniverunt, Cap XII. adducuntur: *Distinctio Pœnarum ex delicto, proditores & transfugas arboribus suspendunt: Ignavos & imbelles & corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt.* Quem supplicii sumendi morem ipse Autor explicat: *Diversitas, inquit, supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.* Non enim iisdem de causis vel diversis alios plecti, alios ne appellari quidē voluerunt, quod jus, jubens ea facienda & prohibens contra Germanis etiam inscriptum fuit. Proinde supplicia vitiis, præmia virtutibus proposuerunt. Neque amore, cupiditate, iracundia, dolore, lætitia, spe, timore, aut permotione mentis judicarunt, sed veritate atque lege. Nec non ad Germanorum encomium hic est annotatum, quod in illa diversitate supplicii ad id respexerint, ut *scelera*, hoc est in Rempubl. commissa delicta, ostenderent, dum punirent & publicis longoque tempore hominum conspectui expositis pœnis, qualis suspendium est, vindicarent: *Flagitia* vero, hoc est ea delicta & probra, quæ non tam ad Remp. quam ad privatorum hominum existimationem pertinent absconderent, seu minus conspicuo supplicii genere punirent. Unde inter scelus, ac flagitium discrimen observamus evidentissimum. Vide Bernegg Qu. 61. An vero in textu verba retinenda sint, *Corpore infames*; vel an potius *torpore infames* scribendum sit, controversia est. *Corpore infames* multi nolunt; cum Germani fœmineo morbo & mollitiæ corporis nunquam fuerint. Hinc Lipsius, in notis ad hæc verba p. m. 550, Scribendum censet *torpore infames*, adducens Quinctilianum eos purgantem in declamatione pro milite, cujus pudicitia tentata a Tribuno: *Nihil tale novere Germani & sanctius apud oceanum vivitur.* Non etiam aliam mentem Taciti, inquit, quam quod ignavos, torpentes, bello inutiles, crate imposita, merferint: Nec urticam illam unquam tetigisse ma-

Cap. XII.

D

jores

jores nostros; sed Austri & Orientis istam infamiam esse. Et iterum
pro Germanis: *Liberatum eos iri volui a fœda averse Veneris nota,*
At Cluverius & Pichena probat vulgatum; cum torpor & ignavia
proprie infamia vocari non possit. Ubi Pichena interpretatur in-
famiam corporis non tantummodo impudicitiam, sed vitia omnia,
quæ vitam corpusque commacularunt. Cui etiam subscribit Con-
ring. in Tac. Germ. p. m. 91.

II. 92

Cap. XIII.

§ 21. De modo militiam publicaque munera subeundi, quæ ne-
mini permiserunt, nisi civitas, hoc est multitudo dignum judicavit.
Cap. XIII. inquit: *Arma sumere, non ante cuiquam moris, quam civi-
tas susceptorum probavit. Tum in ipso concilio, vel principum aliquis,
vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud
illos toga: Hic primus juventa honos. Ante hoc domus pars videntur,
mox Reip.* Qui mos etiam apud Romanos fuit, ubi adolescentes,
deposita puerili toga, virilem sumerent & in viros transcriberen-
tur, Rosinus libr. V. c. 32. Et Lipsius in not. ad An. 12. confirmat ex ri-
tu populi R. sumtam eam post expletum ætatis annum XIV. Qua
occasione Berneggerus Qu. 66. annotat: *Videri alicui posse inde de-
ductam originem vel saltim occasionem aliquam depositionis, quam
vocant, academicæ, qua monemur de deponenda, non tam pueritia,
quam, quæ longe peior, puerilitate, Seneca Epist. IV. It. ritum, ubi
nobilibus Germanis jus gladii conceditur. Cur vero ante, quam to-
gam sumeret, juventus pars tantum domus fuerit e conditione Reip.
Germanorum apparet, de quo Aristot. cujus verba ex Dissertat. Polit.
Christophori Heidm. IV. libr. III. p. m. 79 adduco: *Sciendum non omnes,
qui videntur, esse pleno jure cives. Nam neque facti, sive honoris gratia
civitate donati, veri sunt & simpliciter cives, nec quicumque in civitate
habitant ut inquilini & servi, qui judiciorum participes non sunt. Neque
qui in judiciis versari possunt eo cives st. atim sunt; hoc enim civibus cum
peregrinis quibusdam est commune. Hi namque omnes longius a veri ci-
vis natura absunt. Propius ad eam accedunt civium filii, pueri etiamnum,
aut adolescentuli, dum propter ætatem civium numero adscripti, itemque
senes & decrepita, aut certe grandioris ætatis & a Reip. negotiis jam re-
moti. Veri autem & optimo jure cives sunt, quibus jus est in judicia &
deliberationes veniendi quique magistratum in civitate gerere possunt:
sive qui non prohibentur lege, quo minus judicum in numerum & senato-
rum legantur atque etiam magistratum capiant. Qui cives vero tan-
tum**

25701

tum

tum in populari Rep. debent quæri, quam Democratiã vocamus, aut si malis Politiam, in quo omnibus ad magistratus capiendos aditus patet. Qui igitur in cæteris Rerump. formis cives dicuntur juxta hanc sententiam, proprie non sunt cives, sed per homonymiam.

§. 22. Eodem capite mores tum Principis in æmulatione comitatus, tum ipsius comitatus circa Principem laudantur. *Magna comitum æmulationo, quibus primus apud principem locus: Et Principum cui plurimi & acerrimi comites. Hac dignitas, hæ vires magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello presidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. Expetuntur enim legationibus & muneribus ornantur & ipsa plerumque fama bella profligant.* Ad hoc quod comitatum attinet, testatur historia, hunc morem non solum apud Germanos: sed etiam apud omnes fere Principes constanter obtinuisse. Et in primis multi in suo satelicio Germanos habere gavisi sunt. Cujus ratio insignis ex libr. XIII. A. c. 54. huc referri potest: *Nullum mortaliū armis, aut fide ante Germanos esse. Sic Tiberius satellites habuit Germanos An. I. c. 24. p. m. 31. Cum enim dilectum militem, supra modum firmatum ad seditiosos misisset, addita fuit magna pars Prætoriani equitis & robora Germanorum, qui tunc custodes Imperatori aderant. Præterea fama in bello maximum est momentum; qua vero nostros valuisse, hoc ipsum caput, tum salus Teutoburgiensis & reliquæ Vari legionumque insepultæ Germanico suisque militibus ostenderunt. Annal. I. c. 60. p. m. 73. Neque minus fortissimus Arminius clamitans: En! Varus & eodem iterum fato victæ legiones. An. I. c. 65. p. m. 79.*

§. 23. Capite XIV. ulterius commendat tam principis, quam comitatus qualitates: *Cum ventum est in aciem, turpe est principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adæquare: Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant: Comites pro Principe. Quod ipsum egregium esse de principe, suo exemplo probavit Alexander Libr. IV. c. 4. Curtii in oratione ad milites: Se non postulare ut fortiter capebant prælium, nisi ipse cæteris fortitudinis esset exemplum, se ante prima signa dimicare paratum. Quam turpe contra sedere domi & eminus expectare belli fortunam,*

Cap. XIV.

investiva docet oratio Populi R. Tiberium sic incusantis: *Patres & plebem invalida & inermia, contatione ficta ludificaretur. Dissideat interim miles, neque duorum adolescentium, Drusi scilicet & Germanici, nondum adulta auctoritate comprimi queat. Ire ipsum & opponere Majestatem imperatoriam debuisse, cessuris ubi principem longa experientia eundemque severitatis & munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate toties in Germanias commeari potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in Senatu verba Patrum cavillantem, satis prospectum urbane servituti: Militaribus animis adhibenda fomenta ut ferre pacem velint.* Wenn er Feuer hätte/ solte ers den Soldaten zeigen / daß sie fein still sässen. An. I. c. 46. Recte igitur ipsum principem rebus militaribus adesse Germani voluerunt. Quemadmodum etiam in hoc valde laudandi, quod omnia sua fortia facta Principi assignarint. Hic enim in administrandis negotiis maximum sustinet onus ejusque auspiciis res geruntur; ad quem etiam pleraque rei male gestæ redeunt incommoda. Sicuti vero hæc in illum cadunt, ita non immerito fructus ejus, quod bene gestum est, ei soli debet adscribi. Molem illam, vere quidem, callide tamen proponebat Tiberius, cum, specie recusantis flagrantissime cupiens imperium, sic differeret: *Solam divi Augusti mentem tantæ molis capace; se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortune regendi cuncta onus* An. I. c. II.

§ 24. Eodem Capite nobilium Germanorum Adolescentium studia militaria extollit: *Si civitas in qua orti sunt longa pace & otio torpeat: plerique Nobilium Adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia & ingrata genti quies & facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tuentur.* (Vulgo tueantur Cluverius tuentur legit.) Alias triplex hujus rei causa dari solet. (1.) Quia militaris ars ejus est naturæ, ut ipsa armorum meditatione, exercitatione & usu, non lectione vel auditione parari queat. (2.) ut tempestive noscantur adolescentes exercitui & militum sibi studia parent, quo eos in futurum obsequentiores & benevolentiores habeant; nec noscantur tantum; sed & ipsi suos olim milites noscant. (3.) ut urbano luxu non lascivientes, adolescentiam cum laude traducant. Vix enim fieri potest, ut corpus, multum diuque otio & lasciviis assuefactum, repente laborem tolerare queat. Id quod etiam Romani non neglexerunt; cum Senatorum filii,

filiis, & tale nobiliorum genus, in militiam profecti, sub oculis & in latere ducis caste & modeste agerent; ut sermonibus militaribus & interdum consiliis interessent. Denique ut duces agere parendo discerent. Quæ omnia Germani summa cum laude observarunt.

§. 25. Capite XV. liberalitatem civitatum erga principes ostendit: *Mos, inquit, est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus, vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.* Alias munera accipere, quæ corrumpunt, non licet. Hoc vero loco absque vitio fieri potuit; cum gratitudinis & observantiæ declarandæ, vel necessariæ sustentationis causa, oblata fuerint. Quod textum attinet, eum Lipsius imminutum dicit. Et Rhenanus scribendum putat equitium. At ne sic quidem, judicante Lipsio, pendentia verba firmaveris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum. Ipse ergo [notam X, quæ decimam vel decimas significat, excidisse, credit; cum mos ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis decimis, in nobilitatis usum. Sed alii, inculcandum textui aliquid, non ducunt necessarium; subintelligendum enim ad voces armentorum vel frugum *aliquid*, cui respondeat subsequens *quod*. Favente Conringio in Tac. Germ. not. p. 91. 92. & Bernegg. Quæst. 70.

Cap. XV.

§. 26. Capite XVI. Germanorum habitacula describit: *Nullas, inquit, Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis & coherentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus. Materia ad omnia utuntur informi & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt, terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: Et si quando hostis advenit aperta populatur: abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod querenda sunt.* Hinc, cum Germani urbes non habuerint Bernegg. Qu. 81. quærit, an urbes, multas in Principatu esse easque cinctis mœnibus profit? Et caute respondet: Tum demum consultum esse si & agri ea sit fertilitas, ut plures alere possit, & non

Cap. XVI.

nimia vicinitate urbes jungantur, ne una alteri impedimento sit: Mœnia vero non tantum ornatum urbibus afferant, sed & utilitatem civibus præbeant maximam: Confirmasse etiam hanc sententiam suo suffragio ipsos Germanos; cum, etsi multo post C. Taciti ætatem nullas urbes habuerint; octavo tamen circiter abhinc seculo paulatim a moribus digredientes, ipsi, vicos mœnibus cingere & contra vim hostilem communire, cœperint; nulli nunc urbium arciumque seu pulcritudine seu firmitudine nationi facile cedentes.

Cap. XVII.

§. 27. Cap. XVII. Vestitum Germanorum tradit: *Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina confertum. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras & detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius fœminis quam viris habitus, nisi quod fœminæ sæpius lincis amictibus velantur eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos sed & proxima pars pectoris patet. Quamquam severa illic matrimonia.* Quod in his ad vestitum spectat, usus in eo fuit maximus, cum, magnas opes in eum profunderere, ut hodie a vanitatum & levitatis hominibus videmus, haut fuerit necessarium. Nec minus commodum fuit, quod aliunde peregrinum & ascitum habitum non assumentes, proprium & peculiarem retinuerint. Optime conscii, *Vestes peregrinas, peregrinos etiam mores induere, exitio futuros.* In qua parte etiam, hodiernos Suevos germane Germanose esse, dicimus; dum communi ritu Germanorum veterum etiamnum vulgo veste utuntur stricta. Et hæc Germanorum consuetudines cum aliquid forte ac militare sapiverint, strictus vestitus potius virilis ipsis visus, quam fluitans & laxus.

§. 28, Hodie vero, si mutationem & rei vestiariæ luxum aspiciamus, originem ab inveterata Gallorum licentia ducimus. Ubi & vestis serica fecem plebis tegit, & sutor tibialibus sericis comparet. Imo Berneggerus refert quod indusia sua Parisiis in Belgium usque lavanda mittant. De loco Taciti Cluverus non consentit, & quem Berneggerus genuinum & immutandum censet, ille, in Commentario ad antiquam Germaniam, hoc modo invertit: *Gerunt & fera-*

rum

rum pelles superiores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus? Proximi ripæ exquisitius eligunt feras. Sed vulgata Taciti verba liquidiſſime clarent & hoc ſibi volunt: Proximi ripæ Romanæ, Rhe-
no Danubioque negligenter pellibus ſe tegunt, quare? quia cultum & meliores veſtes jam habent a Romanis, aut provincialibus, commerciorum beneficio, quorum uſum Germanis interceſſiſſe cum Romanis ex hujus libelli cap. VI. liquet. Ulteriores autem ſive interiores ac ſeptentrionales Germani majori in pretio pelliceas veſtes habent, iisque veſtiuntur exquisitius & elegantius, quare? cauſa ſimili; quia carent aliis veſtimentorum generibus, nec ea importantur aliunde, nullo cum exteris intercedente commerciorum uſu. Accidit ergo Germanis illis interioribus, quod olim Spartanis apud Plutarchum in vita Lycurgi. Cum enim ex inſtituto Lycurgi luxus omnis excluderetur, opifices, ubi diſceſſerant ab inutilibus, expreſſerunt in neceſſariis elegantiam. Hinc apud eos inſtrumentum quotidianum & neceſſarium, velut lecti, ſedes, menſæ ſupra modum cuncinne fabricabantur, & apud externos etiam erant in pretio. Sic noſtri hoc cultiores habebant veſtes pelliceas, quod eas ſo-
las haberent. Vide Bernegg. Qu. 87.

§. 29. Neque ridiculum nobis videri debet; cum ex Gen. III, 21. conſtet Deum protoplaſtis tunicas tribuiſſe pelliceas & aliis temporibus frequentem hujus geſtaminis fuiſſe uſum. Addimus & hoc, pilos Germanicarum pellicearum antiquitus non introrſum, ut nobis, ſed extrorſum fuiſſe converſos. Quod ex hoc capite conjicimus, ubi maculis eas ſparſerunt, ſeu fruſtulis aliarum pellium verſicoloribus diſtinxerunt, conciliandæ pulcritudinis cauſa, quæ nulla fuiſſet, ſi introrſum verſa.

§. 30. Poſſet vero criminis quis accuſare Noſtros, quod apud illos idem ſceminis atque viris fuerit habitus; cum ſit contra mandatum Dei Deut. XXII. v. 5. *Ne eſto inſtrumentum virile ſuper ſceminam neque induito vir veſtem ſceminæ: Nam abominatio eſt Jehovæ Deo tuo quiſquis facit iſta.* At, non poteſt objectari promiſcua viris & ſceminis veſtis, ſi ex conſuetudine, quæ ſcandalo caret, fit, ut apud veteres Germanos. Quomodo apud Helvetios Helvetiasque communis pileorum forma citra detrimentum honeſtatis eſt. Vel ſi ex neceſſitate, utilitate vel aliis de cauſis corpori conducatur. Licet ergo locus ille proprie de veſtitu loquatur, ſtatuiſſimus tamen cum aliis non
omnem

omnem vestimentorum promiscuum usum eo damnari, sed qui ex nulla probabili occasione est, mollitiei lasciviae & luxuriae causa.

§. 31. Magis vero videtur improbanda Germanicarum foeminarum nuditas, quod partem vestitus superioris in manicas non extenderint. Unde conjiciendum, fortassis veteres ejusdem vanitatis cum hodiernis fuisse, quae, more mulierum Gallicarum, in cedentes, etiam partem vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos. Quid ergo, numquid germanicas illas foeminas parum pudoris & multum libidinis hominibus accensebimus? Absit & excuset illas ipse Tacitus; Cum in fine hujus Capitis addat: *Quanquam severa illic matrimonia*

Cap. XIIIX. &
XIX.

§. 32. Cui merito subjungimus Caput. XIIIX. & XIX. *Nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Interfunt Parentes & Propinqui ac munera probant: Munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves & frenatum equum & scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur. Atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur: Venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace idem in praelio passuram, ausuram. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, sic pereundum. Accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referant. Erga septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens & maritis permissa accisis crinibus, nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit. Publicata enim pudicitia nulla venia, non forma, non aetate non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates in quibus tantum virgines nubunt, & cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus unamque vitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum sed tanquam matrimonium ament.*

Plusque

Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. Hoc cum certissimum sit, longe aliter de nuditate mulierum hodierna judicandum est: quæ ex impura cupiditate ortum trahit, & hodie nudas facit brachia & lacertos, non sinens pectoris partes tegere venientibus persuasæ pulcritudini. Germanis vero corrumpere & corrumpi non vocabatur seculum, daß man der Laster halber sich entschuldiget: die Zeit litte es nicht anders/ man müsse es so mit machen.

§. 33. Et inde non mirandum quod in tam numerosa gente paucissima fuerint adulteria, quorum pœna præsens maritis permessa. Accisis enim crinibus, nudatam coram propinquis expellebat domo maritus, ac per omnem vicum verberare agebat. Bodinus quidem has Germanorum laudes de paucitate adulteriorum invertere studuit, quod non propter continentiam illis tribuantur, sed propter hebetudinem & peccandi impotentiam; ideoque ob continentiam Germanos non magnopere laudandos contendit. Vide Meth. Hist. c. IV. Sed sane hac ratione aut facultatem illam rem expetendam concedat, aut Deum non esse castum; quia aliis hanc facultatem dedit, quam ille peccandi impotentiam in Germanis dicit; quasi hæc facultas in se esset peccaminosa.

§. 34. Quod vero privata ultione vindicaverint adulteria, non improbandum est neque rationibus caret. Primum enim non fuit omnino privato mariti arbitrio & indicata causa sumpta pœna, sed secundum consuetudinem, quæ legis vim obtinet, & præcedente causæ cognitione coram propinquis. Ita ut non maritus idem & accusator & iudex fuerit, sed potius exsecutor accusatæ & convictæ, innuente Tacito: *permessa est iis pœna*: deinde quia gravissimum Germanis fuit flagitium, nec ullam impunitatis spem fecit. Tandem quia consuetudo hæc collimat ad gravissimum ipsius Dei præceptum Levit Cap. XX. v. 10: si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, morte moriatur & mœchus & adultera.

§. 35. Posset vero quis suspicari pœnam illam non fuisse capitalem; cum tantum crinium accisio & fustigatio adducatur. Sed huic adducimus Epistolam Bonifacii Archiepiscopi Moguntini ad Ethibaldum Anglorum Regem: *In antiqua Saxonia (respectu novæ in Britannia Saxonibus eo transgressis) si virgo paternam domum adulterio maculaverit, vel si mulier maritata adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam*

E

vitam

vitam finire & super bustum illius incensa & concremata corruptorem
ejus suspendunt. Aliquando congregato cœtu fœmineo flagellatam eam
mulieres per pagos circumquaque ducunt virgis cædentes: Et vestimen-
ta ejus abscindentes juxta cingulum & cultellis totum corpus ejus secan-
tes & pungentes minutis vulneribus: cruentatam & laceratam de villa
ad villam mittunt & occurrunt semper novæ flagellatrices, zelo pudici-
tiæ adductæ usque quo eam aut mortuam aut vix vivam derelinquant, ut
ceteræ timorem, adulterandi & luxuriandi habeant. Adducimus
etiam hæc de re verba Cluverii Germ. Antiqu. I. 43: *Paucissima
fuisse adulteria necesse est, ubi tam præsens, tam severa tamque rigida
pœna. Hæc consuetudo ad divinum præceptum propius accedebat, quod
de vulgata tam virginum quam nuptarum pudicitia per Moſen populo
ſuo olim dedit Deus, quam iſtud multarum nunc Chriſtiani nominis gen-
tium jus, quo adulteria etiam sæpius iterata videntur magis quam puni-
untur: Et corrumpere & corrumpi ſeculum vocare licet. Publicatæ
quippe pudicitie haut minus nunc præſens venia quam apud priſcos no-
ſtros Germanos præſens pœna.*

§ 36. Vitia non riſerunt Noſtri, uti textus dicit. Hodiernis vero,
teſte experientia, corrumpere & corrumpi vocatur ſeculum; dum
conſuetudinem vim legis habere putant. Modo ſeculum ferat, cum
aliis licere peccare. Verum ſciendum, quod non omnis conſuetu-
do probanda ſit. Nam ſi cum recta ratione pugnat, ne ad tempus
quidem debet valere; quia tunc potius abusus & corruptela, quam
conſuetudo dicenda eſt. Dicunt, peccata conſuetudine non adeo
obſervari debere; quod enim lege permittente fiat, id pœnam non
mereatur: Jam vero conſuetudo legis vim habeat & permittat etiam.
E, delicta conſuetudine non eſſent puniendæ. Verum ſicuti leges in-
honeſtas & rationi adverſantes magiſtratus eſt abrogare: ita etiam
irrationabiles conſuetudines, ne earum prætextu impune homi-
nes peccent, poteſt tollere. Licet nihil tam frequens ſit delicti turpi-
tudinem exemplorum uſu & conſuetudinis venia deprecari, quibus
ſecundum Plautum; *mores leges jam perduxerunt in poteſtatem: Et
Tacitum A. I. c. 2. Legum auxilium eſt invalidum; cum vi, ambitu &
pecunia turbentur,* Hinc non nemo, Sanctiores, Nobis, fuiſſe Ethni-
cos, dicit; cum hodie vitia homines rideant, protecti, quantum-
vis enormibus vitiis, illo: *ſic ſeculum eſt.* Si quis aliena matrimo-
nia contaminantem, aut intempetiſtiva contrahentem puellis que illu-
dentem damnet, ſtatim audiatur: *ſic ſeculum non eſſet.*

§ 37.

§. 37. Severius ergo vixerunt castitati veteres Germani, ho-
nori. Uti & insignis laus ex eo illis accedit, quod singulis uxoribus
contenti, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobi-
litate plurimis nuptiis ambitu, egerint. Quod quam gravissimum
illud ad Dei præceptum, scimus nos Christiani ex primæva institu-
tione Gen. II. v. 24. Matth. XIX. v. 5. ut conjugium sit unius viri & mu-
lieris conjunctio & duo sint in carne una: Et I. Cor. VII. v. 2. Propter
stupravitanda habeat unusquisque *uxorem suam*, & unaquæque *vi-
rum suum*. Quam divinam etiam voluntatem deinde Christiani Im-
peratores approbarunt, legibus prohibentes Polygamiam.

§. 38. Quando vero dotem non uxorem marito, sed maritum uxori
obtulisse textus habet: duo incommoda ex eo vitari potuisse videtur.
Unum ne foeminae putent se conciliasse muneribus ac spe dotis
viros, sed quod potius a viris petantur: Alterum, ne dissidia & rixas,
quas dotis amplitudo afferre potest sibi attrahentes, matrimonia ha-
beant onera; in primis si uxor, vel virgo stolidum & minus sensatum
dotet virum; & ingenium, vel aliarum qualitatatum bona non pos-
sint compensare uxoris pecuniam. Ad quam rem hic etiam potest
accommodari illud Martialis Epigr. IIX. 12.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,

Queritis? uxori nubere nolo mea.

§. 39. Sic in eo etiam laudandi veniunt, quod parentes liberorum
nuptiis advenientes, jus observarint, quod natura docuit, & cujus vis
in ditione liberos iussit, a quibus vitam, educationem & innumera
alia beneficia habent. Pro quibus omnem venerationem & honoris
cultum jure debent; adeo, ut, invitis ipsis, matrimonia non contra-
henda sint.

§. 40. Neque exigua laus ex iis promanat, quando, septa pudici-
tia, agentes, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irri-
tationibus mulieres corruptæ fuerunt. Quod tamen de spectaculis
recte intelligendum dicimus. Non enim veteres ab omni specuacu-
lorum genere abstinuisse Cap. XXIV. hujus libelli ostendit: *Genus
spectaculorum unum atque in omni cætu idem: Nudi juvenes, quibus id lu-
dicrum est inter gladios se atq; infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio
artem paravit: Ars decorem, non in questum tamen aut mercedem, quam-
vis audacis lascivie pretium est voluptas spectantium; Ab iis tamen, quo-
rum illecebris pudicitia corrumpi potest, maxime abstinuerunt.*

§ 41. Quando autem nec mulieres convivii irritatae fuerunt, in eo & sibi & uxorum moribus optime consuluerunt. Nam ubi luxus dominatur, ibi raras facultates relinqui certum est; nec adeo septa pudicitia, agunt, ubi irritationibus, quod in convivii fieri potest, corrumpuntur. Qui mores tamen difficulter hodie sperandi.

§. 42. Multo minus illi, quando virgines inter Germanos tantum nupserunt & cum spe votoque uxoris semel transactum. Sic unum acceperunt maritum, quomodo unum corpus &c. Quae consuetudo ob has rationes obtinuisse videtur; quod naturae virginum facilius moribus Mariti aptari possint. Vidua vero duplici labore opus habeat: primum ut de mortui mores dediscat; deinde sese accommodet praesenti, ni rixas & dissidia velint. Quod tamen non absque distinctione dixerimus. Viri enim, si senes, vel juvenes, vel mediae aetatis, aequales sibi ducant, nach jenes Deutschen Poeten Meinung:

Das ist die rechte Art
Wenn jung und jung sich paart;
Und Alte sich zu Alten
Verfügen und sich halten.

Cap. XX.

§. 42. Quod educationem liberorum attinet Cap. XX. Autor dicit: *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur: Nullis educationis deliciis.* Quod ipsum, in his Germanorum matribus, magnum alendae prolis officium fuit; a quo hodierna foeminarum delicatularum praxis plane abhorret. Veteres sciverunt, quod natura unicuique animali suos foetus alendos tribuerit: Nostris autem hoc non arridet. Gestant liberos, antequam nascuntur, magna cura, deinde parcendae pulcritudinis causa negant suis, quod simia catulis non negat. Aliter se res habet, quando puerpera infirma alere non potest. In quo casu tamen etiam cauta esse debet: neque sine discrimine suos alendos tradere, sed, monente Plutarcho, *eligat nutricem probam & honestam, verecundam moribus, hilarem, placidam, sobriam, castam; non agnoscentem viri commercium, vel legitimum, vel illegitimum; non garrulam, sanitate optimam & inculpata:* Non quamvis meretriculam: Ut hoc consilium hodiernis fortasse non sapiat.

§ 43. Neque blande educarunt suos, aut in educationis deliciis, sed ut conditio tulit: Plane adversus nostros mores, qui tam delicate educamus, ut aerem infantes sentire non patiamur.

§ 44. De aetate ineundi matrimonia ibidem. Verba: *Sera juvenum*
Venus

*Venus eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur, eadem juven-
ta, similis proceritas. Pares validique miscentur, ac robor a parentum li-
beri referunt. Cujus rationes in textu dantur, (1. quod inexhausta
maneat pubertas exemplo ipsius Germaniæ, abundantis hominibus
(2. quod juvent proceritatem roburque. Quando vero pares misceri
Autor dicit proportionem convenienti id debet accipi. De quo Arist.
Pol. VII.16: *Mas fœminæ jungendus, nec præmatura ætate utriusque, nec
ubi tempus ducendi uxorem aut nubendi justum legitimumque pridem ef-
fluxit. Justum vero tempus arbitratur, viro septimum circiter & trige-
simum: fœminæ annum octavum decimum. At quæ præcepta, si pluri-
mi scirent plurimum etiam riderent; qui non patiuntur certum tem-
pus præfiniri; in quo tamen multum ab instituto majorum recedunt.*
Berneggerus adducit Joh. Casum ad Arist. locum his verbis: *Deus bo-
ne! quot hodie curvos & decrepitos senes in amplexibus & ulnis Laidum
involutos videas. O quam indecora res est delirantes senes, cum oculis
cœcutiant, cum careant dentibus, cum manibus tremant, cum vacillent
pedibus, de sponsa somniare. Sapientia majorum hoc prohibuit. Et si ex-
emplis pugnare vellemus, infinita essent, quæ connubia inæqualia
infelicia, libidinosa flagitiosa & calamitosa probarent. Senes enim
plerumque sunt morosi, difficiles, ac proinde ad amicitiam & societa-
tem inepti. E. ejusmodi inæqualis conjunctio haut stabilis & firma
esse solet. Inter pares vero, eoq; magis juvenum, societas firmior est,
quo magis primarius conjugii finis procreatio sobolis certior, qui
apud inæquales & senes rarus.**

§. 45. Cap. XXI. De hospitalitate sequentia memoriæ reliquit Ta-
citus: *Convictibus & hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcunq;
mortalium arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quisque apparatus e-
pulis excipit, sum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii &
comes proximam domum non invitati adeunt, nec interest, pari huma-
nitate accipiuntur. Notum ignotumque quantum ad jus hospitii
nemo discernit. Abeunti si quid poposceris concedere moris: Et po-
scendi invicem eadem facilitas. Victus inter hospites comis. Ad
hoc in contrariam partem Berneggerus adducit Spartanos, quod
hospites ab urbe sua expulerint: Et Moscos, qui neminem facile
peregrinum admittant: Et Chineses, quos idem facitare ex histori-
is confirmat. Hos inquit omnes violare, cum jus naturæ, quod nos
hospitalitatem docens, mutuo benevolentia charitatisque vinculo*

Cap. XXI.

obstringat: tūm jus positivum divinum, quod peregrinos benigne habendos præcipiat Exodi. X, 19. Matth. XXV. 35. Cautela tamen hic maxime opus esse, non negamus, ne hospitalitas honestatis excedat limites. Qua de re ex M. Paulo Veneto in descript. Regni Orient. Tartari accusandi, quod in quadam eorum Provincia Camul incolæ ad prodigium usque sint hospitales & peregrinos quoscunque, vel invitos, hoc modo suscipiant: *Domo cedat hospiti paterfamilias, uxorem ac liberos ipsi commendet, nec ante discessum hospitis redeat.* Deinde hospitalitas circumscripta sit limitibus prudentiæ, ut ne ex adventibus hospitibus detrimentum capiat Resp. v. g. si scrutandorum secretorum, vel incendiolorum causa accedant hospites. Quales jam deprehendimus Gallos infernales sane serpentes. Quos quia hoc fecerūt Jehova supra ventres suos ire & pulverem comedere jubeat, rogamus,

Cap. XXII. &
XXIII.

§. 46. De abstinentia & sobrietate, quarum illa circa cibum, hæc circa potum versatur; deq; eorum conviviiis passim Autor loquitur C. XXII. & XXIII. *Ad convivia, inquit, non minus sepe procedunt armati. Potui humor ex hordeo aut frumento in quadam similitudine vini corruptus. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Adversus sitim non eadem temperantia.* Unde hoc disseruimus c. IV. §. 5. Quale vero lac concretum & humor ex hordeo, potest pluribus videri ex Herm. Conringii Dissertatione de germanicorum Corporum. Habitibus antiqui & novi Causis, disputantis: *illud concretum caseum non fuisse propter ignorantiam nostrorum, sed butyrum & acorem jucundum; humorem vero, potum illorum, dulcem & absque lupulo.*

§. 47. In præcedenti C. XXII. vitium etiam aliquod a Germanis removet calliditatem, seu astutiam, vocatque eos, *gentem non astutam nec callidam, sed aperti pectoris.* Cum enim illud vitium sit prudentiæ oppositum & habitus corruptæ rationis, minime id cum sinceritate Germanorum stare debuit.

Cap. XXIV.

§. 48. C. XXIV. Iterum meminit Germanor. spectaculorū. *Genus unum & in omni cœtu idem. Nudi juvenes & c.* Quod quidem contrariari videtur, quando Cap. XIX. scripserat: *Germanos, septa pudicitia, agere, nullis spectaculorum illecebris.* Sed responsionem jam tum dedimus §. 40. quæ ibi videnda.

Cap. XXV.

§. 49. C. XXV. De Servis refert. *Servis, dicit, non in nostrum morem descriptis, per familiam ministeriis utuntur, suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum, dominus, aut pecoris aut vestis ut colono jungit.*

jungit. Et servus haftenus paret. Cætera domus officia uxor at liberi ex-
sequuntur. Verberare servum ac vinculis & opere coercere rarum. Occi-
dere solent non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum nisi
quod impune. Hic mos plane contrarius Romanis fuit; quia servos
Germanorum in multis liberos fuisse videmus. Nam si certa onera
ac tributa ut Coloni als Meyer oder Pachtseute Dominis suis re-
portarunt, & in eo paruerunt: a cæteris domus officiis, quæ uxor ac
liberi exsecuti, fuerunt immunes. De quibus videantur alii.

§. 50. Capite XXVI. in eo etiam Autor Germanos commendat, Cap. XXVI.
quod scænis non agitaverint: *Fœnus agitare & in usuras extendere*
ignotum, ideoque magis servatur quam se vetitum esset. Quod tamen
simpliciter de scænore non improbandum putamus. Honestus enim
acquirendi modus non est prohibitus; quia æquitas postulare vide-
tur, ut is, qui suæ pecuniæ usum alteri concedit, ac emolumentum quod
inde capere licuisset, in alium transfert, compensationem ac antido-
rum aliquod accipiat. Sicuti iniquum foret, mutuæ pecuniæ fructum
ab accipiente solum percipi. Deinde necessitatis videtur, exigere
usurarum permissionem; cum vita humana non possit jam absque
auxiliis mutuis conservari. At, si nulla species lucri apparet, malu-
mus pecuniæ otiosam retinere, quam ea, erogando fortassis per frau-
des & imposturas, aut alios casus carere. Cæterum probata est usura
legibus principum Christianorum: quippe Caroli V. prædicanda
Constitutione in distincte omnes usuræ & pensiones reductæ sunt, ne
ultra V. in singula centena, stipulatio fiat. Vide Bernegg. 137. Quæst.

§. 51. Tandem ut de Germanorum origine inceperat: ita in Cap. XXVII.
Cap. XXVII. cum sepultura eorum de moribus in commune agere
finit: *Funerum nulla ambitio. Id solum observatur ut corpora clarorum*
virorum certis lignis cremantur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus
cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepul-
crum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem ut
gravem defunctis aspernuntur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem &
tristitiam tarde ponunt. Fœminis lugere honestum est: viris meminisse.
In his omnibus modus est optimus. Nam uti sumtus funebres merito
legibus coercemus: ita contra ab humanitate plane alienum est mor-
tuorum nullam gerere curam. Præsertim cum Patres in V. T. & mul-
ti alii sancti in N. T. nobis præluxerint Sic de Seneca An. lib. XV. 62.
Autor refert, quod, cum sevitia Neronis, post matrem fratremq; in-
terfectos

terfectos, educator & præceptor superfuisset, brachiis ferro ex solutis cap. 63. & hausto veneno, 64., in balneo vapore exanimatus, sine ullo funeris solenni crematus fuerit. Pietiam de hoc Ambrosius: Quid proficit superbia sepulcrorum? Damna sunt potius viventium quam subsidia mortuorum. Neque inhumatum abjici decet; etiam contra mores Gentilium, cujus elegans testimonium A.I. cap. 62. habemus. Nam Romanus exercitus, sextum post cladis annum sub Varo trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias, an suorum humo tegeret, omnes ut conjunctos ut sanguineos maesti condebant. Primum extruendo tumulo Cespitem Caesar ponebat, gratissimo munere in defunctos & presentibus doloris socius. Sic A.I. cap. XXII. Seditiosus ille Vibulenus callide, cum nunquam fratrem habuisset, postulabat eum sepeliri: *Ubi cadaver querebat? Ne hostes quidem sepulturae invidere.* Quando autem corpora cremasse Germanos legimus; illud videtur rationis, ne vel putrefactis aer inficeretur, vel eruta cadavera ignominie facile afficerentur. At corpora terræ committere, & scripturæ convenientius Gen. III. 19. & sanioribus gentilium Sic, præter adducta ex Tacito exempla, Cyrus, Rex Persarum, a filiis petiit, ut terræ corpus suum redderetur; hac allata ratione, *quia terra omnium esset mater, secundum illud Ecclesiastici C. XL. 1.* Sepultura vero & luctus varios habuit mores: Alii convivia instituerunt lugentibus, die sepulturae, quod pariter de Cyro historia narrat, relinquire testamento, ut filii Persas ad convivium invitarent & muneribus dimitterent. Quem morem, adhuc apud multos Christianorum usitatum. Bernegg qu. 163. probari in scripturis dicit Proverb. cap. XXXI. 6. *Date vinum amarum animo.* Alii Tibicines adhibuerunt, ubi neniae peragebantur, quod etiam populo Judaico receptum fuisse constat. Romani, mutatis vestibus, luctum suum indicabant, desertis foris, clausis domibus, silentiis & gemitibus. An. II. cap. 82. cum Germanici mors Romæ audiretur. Hodie viri nigra, foeminae, candida veste, luctum suum indicantes, exequias celebrant. Cujus rationem hanc quidam reddunt, quod color albus sincerus sit & indicet splendorem animi a corporis ergastulo soluti; Nigredo vero corruptionis corporeæ exemplum sit. Et in his etiam mores veterum Germanorum laudabilissimos fuisse, præter

ter rationem exempla V. T. testantur de Abrahamo Gen. XXIII.
2. Jacobo, Josepho &c. & Novi variis in locis. Ubi modum in viris
fœminisque & ratio religionis & amor erga defunctos nobis svadet;
ita, ut fœminis gemitus & lacrumæ sint honestæ, viris vero rariores.
Modicum plora super mortuum, quoniam requievit, Ecclesiastici XXII.
v.ii. præcipitur. Cui etiam subjungimus elegantiss. epistolam Sulpitii
super obitum Tulliæ Ciceronis, quæ legitur inter Ciceronis episto-
las libr. XI. 2. *Posteaquam mihi renunciatum fuit, Cui placeret legat illam*
utpote plenam argumentorum. Consolatoriorum & admonitionum
honestæ mæstitiæ ac doloris.

§. 52. Et tantum etiam, quoad gloriæ existentiam, de gloria Ve-
terum Germanorum e suis moribus in commune dixisse, hac vice,
sufficiat.

Corollaria

*Canon, totum est majus sua parte, apodicticus est
& topicus.*

*Essentia & existentia sunt termini, rem quidem ean-
dem designantes; interim tamen non equipol-
lentes.*

*Perinde est, an in Physica incipiamus a partibus, vel
a toto.*

*In Ethica Summi Boni media sunt leges, non æque
bene Virtutes.*

SOLI DEO GLORIA!

Ad

Ad Clarissimum
DN. PRÆSIDEM.

AUsoniæ primos populos, moresque vetustos
Hactenus, & prisca Græcia quicquid habet,
Quin magis semotæ facta antiquissima gentis,
Teutonicæ excussit docta caterva plagæ.
Sed quis Teutoniæ excussit curatius ipsam,
Teutoniæ media quamlibet ortus humo?
Scilicet assiduis gens nostra exercita bellis
Oblita Heroes est cecinisse suos,
Vel plane haud scivit nullis iunctura Camenis
Per Martem, queis jam Patria tota madet.
Non tacuisse tamen *Tacitus* Germanidos oras
Et mores potuit, Romulidum ille nepos.
Nostri equidem, ast longo post illum tempore, cives
Coepere & patrii pandere multa soli,
Sed pauci, ac vix tot, quot sunt Pharii ostia Nilii,
Teutoniæ ut jam nunc undique docta fiet.
Ergo DEI auspiciis & sacro percitus œstro
Nos inter coit Teutonas *Ordo novus*,
Non nisi Teutoniæ in lucem monumenta daturus,
Quæ dudum obscura nocte sepulta jacent.
Nec pius ipse pius CÆSAR non provehet ausus,
Quo nec Teutonico doctior orbe fuit,
Quin cœtus Protector erit, cui mensque laborque est
Teutonica ex fœdo prodere prisca situ.
Interea factum ô pulcre, quod *Teutonum* & ipsa
Asserta ex *Tacito Gloria*, AMICE, tibi est!

Gloria

Gloria, crede, tuos ausus comitatur honestos,
Præter & humanam *Gratia* summa DEI.

*Quam ipsam CL. Præsidi, Amico sibi perquam dilecto,
Φρενόμεν apprecatur.*

L. JOACHIMUS FELLERUS, Cygn.

Prof. & Bibliothecarius Acad Lips. nec non
Collegii novi Imperialis, in eruendis Ger-
manix Antiquitatibus occupati, Collega.

Ad doctissimum Dn. Respondentem.

Nomen Teutonicæ gentis splendore coruscans,
HENRICI, merito concelebrare paras.
Efficis hoc ipso, quo sint prompti atque parati,
Qui celebrent nomen semper, AMICE, tuum.
Semper, AMICE, tui laus nominis æqua manebit,
Et tibi conspicuus mox tribuetur honos.

*Hæc pauca doctissimo Dn. Respondenti, Amico suo
Germano, de præsentis Dissertatione gratula-
turus, eidemque omnia bona apprecaturus
scribit*

C. A. SCHUBARTUS.

Ρήματα ποιῶντες καὶ ἔοντες γερμανοὶ ἑσθλοὶ
Πλασθῆντ' αὐτῶν τὸ κλέον αἰδίου.

Es hat der Teutschen Ruhm/ euch Teutschen an Ge-
blüthe

Zum schreiben angelockt und zum disput geführt/
Daß euer weiser Mund und euer klug Gemütthe/
Umb alter teutschen Ruhm nicht ohne Ruhm sich
rührt.

Denn

QA
Th
1751

Denn da ihr iso rühmt der alten Teutschen Sitten/
Kann man mit allem Zug auff eure teutsche Art/
Ein wohlverdientes Lob mit vollen Munde schütten/
Weil derer Tugend Schein sich an euch offenbahrt
Fahrt immer weiter fort/ und thut/ wie Teutsche pflegen/
Das ihr nach Ehr und Ruhm mit aller Arbeit strebt;
Das man der Teutschen Ruhm euch einsten kan belegen
So / wie ist euer Mund der Teutschen Lob hoch hebt.

Christophorus Denso, Brand. March.

S. S. Theol. Studiosus.



C. A. SCHUBARTUS

Printed text in a historical German script, likely a title page or preface, which is mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

1077

nc





Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

[Faint, illegible text from an old manuscript or document, possibly containing names or dates.]

[Decorative border and text from the right edge of the manuscript page.]

